LATINAE

INSCRIPTIONES

AUCTORE

CAN.co JOANNE SCHERILLO

REGIAE ACADEMIAE
ARCHAEOLOGIAE, LITTERARUM ET BONARUM ARTIUM SOCIO ORDINARIO;
PONTANIANAE ETC.



NEAPOLI
TYPIS FIBRENIANIS
MDCCCLXIX

AMPLISSIMO VIRO

JULIO MINERVINI

COLLEGAE SUO[1]

JOANNES SCHERILLO

S.

Latinas aliquot επιγραφας in lucem editurus, quas identidem exarare mihi contigit, nemini alii inscriptas volo, quam tibi, dulcissime Juli. Hoc nostrae amicitiae, qua jampridem sumus invicem devincti, testimonium esto; hoc eximiae tuae doctrinae obsequium. Plerique, nostris hisce diebus, novi aliquid in commune bonum excogitasse arbitrati, crebris sermonibus usurpare non dubitant, juvenculos latinis litteris operam navantes, nihil aliud agere, quam miserrimam temporis jacturam: melius prorsus futurum, si primos illos aetatis annos scientiis sive mathematicis, sive physicis, sive philosophicis insumerent. At vero quam sibi illudunt, jam ex eo colligi potest, quod latinam linguam ceteris omnibus aliarum gentium sermonibus parem facere videantur. Si res ita se haberet, quis unquam eos falsi argueret? Verum Populi Romani Respublica tam late patuit, ut mundum fere universum complexa sit; ita quidem ut latinam linguam negligere perinde sit, ac totam omnino antiquitatem repudiare.

Quod si non inde tantum juvenibus malum immineret, ea est latini sermonis natura, ut per se ipse nullo unquam tempore reliquis aliarum rerum studiis non sit anteponendus. Enimvero sit sane certum (neque de hac re dubitandi mihi animus est) ex Mathesi, Physica, Philosophia, aliisque id genus disciplinis, constare pulcherri-

[1]) In Regia Academia Archaeologiae, Litterarum et Bonarum artium; Pontaniana etc.

mum, ut ajunt, humanae sapientiae aedificium. Quo demum fundamento,si latinas litteras e medio tollunt,illud statuere contendant? Ea enim semper sanae mentis hominibus sententia fuit, ut, quemadmodum ingentem molem aedificaturus, si fundamenta jacere neglexerit architectus, eum stultitiae nota omnes urendum esse judicarent; ita si quis instituendos juvenes latinis litteris prohiberet. Classici enim latini scriptores hoc sibi proprium et singulare vindicant, ut in suis libris divinum veluti fontem nobis reserarint, unde primam illam vim hauriamus, qua mens animusque noster incredibili voluptate excitati, ad omnem humanitatem informentur. Hinc intimum quoddam vitae solatium existit, quod cum nemo unquam nobis eripere potest, tum res ipsas adversas reddit molliores. Hinc dicendi scribendique facultas oritur, qua lectorum aut auditorum animi tanta jucunditate alliciantur, ut plerumque vel invitos in nostram sententiam pertrahamus. Hinc reliquae omnes disciplinae sibi lumen et ornamenta cuique propria deducunt. Hinc ipsa humana ratio, qua ceteris omnibus animantibus excellimus, et majores exerit vires, et ampliori luce splendescit. Hinc res gestae et praeclara facinora, litteris tradita, donari aeternitate videntur. Hinc privata vel publica monumenta, inscripto elogio, rei potius significatione quam operis mole posteris commendantur. Atque ut uno dumtaxat verbo rem concludam, hinc profecto est, ut latinorum scriptorum studium velut tessera apud omnes habeatur, qua docti et eruditi homines ab reliquis discernantur.

Et re quidem vera, quis non miretur in universo terrarum orbe latinos hosce scriptores tanto studio esse excultos, tantaque luce res hominum universas perfundere, ut si quis eos ablegaret, idem esset omnino ac si solem mundo eriperet? Quis enim usquam gentium aut Tullium, aut Caesarem, aut Livium, aut Sallustium, aut Tacitum non novit? Quis Virgilium, Horatium, Lucretium, Ovidium, Catullum ignorat? Si populos omnes, si remotissimas quasque nationes lustraveris, licet inter se dissitissimae sint, licet asperis montibus interclusae, licet rerum omnium inopia coelique inclementia et sexcentis aliis incommodis laborent, hoc sibi placent, hoc applaudunt, quod latinos scriptores suam domum receperunt, eorumque hospitum consuetudine utantur. Ex quo etiam fit, ut docti homines ex universo demum orbe terrarum in unam coaluerint societatem et cognatione quadam inter se contineantur, unde praestantissima illa in medium exurgit, quam Litterariam Rempublicam vocamus.

Cujus quidem rei, si pristinas litterariae Europae conditiones ante saeculum decimum sextum perpendas, quam luculentissima patet ratio. Cum enim in mentem praeteriti temporis memoriam revoces, jam inde usque repetens, invenies quasque tam vastae regionis gentes, densissimis ignorantiae tenebris offusas, velut in obscura noctis caligine esse versatas; donec ex inopinato parva quaedam scintilla illorum hominum mentes perculerit, quae paullatim in ingentem flammam provecta, tenebras omnes extersit, iisque novam lucem novumque attulit diem. At vero undenam toti Europae lux illa affulsit, nisi ex classicis latinis scriptoribus?

Haec autem Italiae nostrae maxima laus est, quod ipsa latinos hosce scriptores omnium prima in honorem revocarit, eosque studio et amore prosequuta, eo tandem devenerit, ut ex divinis illorum libris eam scintillam extuderit, quae brevi ad fugandam tot saeculorum ignorantiae noctem mirum in modum solis splendorem aemulari visa est. Quod quidem, ita uti accidit, divina Numinis providentia factum est. Non enim aliunde, quam ex Italia, praeclarissimi illi scriptores ortum duxerunt, Italiam suis libris illustrarunt, eamque divitiarum ingenii sui haeredem fecerunt; ut si quando, disjectis tenebris, lux aliqua gentibus esset invehenda, ea non nisi ex Italia emicaret, cui lux illa custodienda in commodum generis humani commissa fuisset.

Attamen si hoc aliquando sibi jus Italia vindicavit, nullo unquam tempore, ex nostra quidem sententia, quam in praesenti, eo debet uti. Cum enim, mole ipsa sua quondam fatigata, delapsa fuerit ac praeceps ruerit, varias deinde vices perpessa, modo barbarorum, modo sui ipsius regulorum imperio prostrata, ex humili tandem loco exsurrexerit, pristinaeque virtutis memor, ceteris majoribus nationibus, propriis se viribus non inferiorem asseruerit; id sibi potissimum cavendum esse existimo, ut hujusmodi praerogativam tueatur, qua per latinos scriptores reliquorum populorum magistra, Deo ipso auctore, constituta est. Utcumque enim reliquis conditionibus ceterae eam gentes sive aequent, sive etiam superare contendant; haec uni illi gloria obtigit, haec illi aptissima via est, qua ad eam majestatem evehatur, ut omnium admiratione atque obsequio digna existimetur. Quod non ita dictum a me putes, quasi externae tantum Italiae nostrae dignitati consulam. Intimam ipsam Italiae virtutem latini sermonis stimulo excitari posse contendo. Cum enim (quae est cujuscumque sermonis natura) eloquium lati-

num externa significatione vitam illorum Romanorum prodat, qui reginam et caput omnium populorum Italiam constituerunt; prono alveo fluit, ut in latinae scilicet linguae visceribus, ut ita dicam, illius vitae semina quaerenda sint, quae et olim pristinum Italiae splendorem pepererunt, et modo nostris temporibus pariant.

Si qui vero evincere conantur (sunt autem plurimi), latini sermonis studio, detrimentum inferri italicae linguae, quam apprime italicum populum excolere deceat; hi quidem specie veri sese deceptos probant. Cum enim ex latino italicus sermo, quasi rivus ex amplissimo flumine, quondam effluxerit, nunquam profecto poterit accidere, ut probe italicum eloquium quis calleat, cum latinum parvipenderit. Cujus quidem rei exemplum nobis ipsi italici scriptores praebent, quos tanquam magistros habemus. Namque et Dantes, et Petrarca, et Boccaccius, et ceteri qui jure meritoque principes in tanto negotio, omnium saeculorum judicio, constituti sunt, non modo assiduam latinis auctoribus operam navarunt, sed etiam quandoque latino sermone et ipsi plurima scripsere, et quod caput est, eos ipsos praeceptores, seu prosa seu versa italica oratione, sibi proposuisse confessi sunt. Id extra omnem dubitationis aleam apud doctos utriusque linguae positum est, qui jamdudum eos ex latinis quascumque dicendi veneres in sua scripta, admirabili quadam arte atque ingenio, derivasse animadverterunt. Quibus ex rebus ea facilis conclusio est, quidquid studii in latinos scriptores impendatur, non solum italicae linguae addiscendae nihil omnino detrimenti afferre, sed ad eam cognoscendam, ipsosque classicorum nostrorum sensus enucleandos prodesse quam maxime.

Fruamur ergo, Juli dulcissime, fortuna nostra. Ea enim mihi sententia sedet animo, praeclare quidem actum esse cum nobis, ut ab ineunte aetate ad latinarum litterarum studium deducti simus, doctissimos uterque praeceptores nacti; tu quidem Avellinum tuum, cujus ipsum nomen laus est, ego vero Carolum illum Rosinium, qui inter maximos officii sui labores nihil unquam antiquius habuit, quam ut quamplurimos studiorum suorum haeredes relinqueret. Utinam vero tanto praeceptore dignus videar! Haec communi utriusque solatio meminisse libuit. Tu me interea, quo more soles, amare perge et Vale.

Dat. Neap. IX. Kal. Octobris MDCCCLXIX.

ARAE SEPULCRALES



SALERNI, *Cippus quadrifariam inscriptus in coemeterio campestri*

I

NICOLAVS TOZZI
EX OPPIDO S. GREGORI HEIC SITVS EST
ADOLESCENS EGREGIVS ET OPTIME MORATVS
QVI
CVM PRAECOCI INGENIO GRAVIQVE SVPRA AETATEM IVDICIO
INCREDIBILEM PROPE DE SE EXPECTATIONEM
CONCITARET
HEIC QVO STVDIORVM CAVSA SECESSERAT
ACERBA MORTALITATE INTERCEPTVS OBIT
ANNOS NATVS · · · ·

HVIC AMATISSIMO AC DESIDERATISSIMO
MATER ET FRATER
PRAETER VOTVM FECERVNT

II

HEV MISERANDAM RERVM HVMANARVM VERTIGINEM
MATER
LAETISSIMA FILIO TAM PRAECLARA MINANTI
DVM SECVM GAVDET
ET FAVSTA CVNCTA FORTVNATAQVE PRAEIT ANIMO
EXTERRITA IMPORTVNO NVNTIO
ADVOLAT
AT HEV DOLOR PRO NATO GELIDAS NATI EXVVIAS
AMPLEXATA EST

QVIS MISERAE FLENDI AC SINGVLTIENDI
IN POSTERVM ERIT MODVS

III

QVIS VNQVAM QVIS FANDO DIXERIT
DVLCISSIME NICOLAE
TE TAM SVBITO INOPINATOQVE FATO
NOSTRIS E COMPLEXIBVS DIVVLSVM IRI
EXTERNO VT SOLO OCCVMBERES
NEC NOBIS TVI AMANTISSIMIS
EXTREMVM SPIRITVM EXCIPERE
AVT OCVLOS TIBI CLAVDERE LICVERIT

VALE ANIMA IVCVNDISSIMA DIV NOS NON EXPECTABIS
HEV BREVI NOS TANTA AMISSIONE
CONFICIET DOLOR

IV

CRESCITE
VOS CIRCVM ATRAE CVPRESSVS
CRESCITE
PALLENTES VIOLAE
QVAS HVMI PRIMVM INSITAS
LACRVMIS IRRIGAVIMVS
VOS NON TVRBO LANCINET
NON FVLMINA FERIANT
TAM CARI CAPITIS TVMVLVM
PROTEGITE
ILLVM IDENTIDEM VISVRI
ET VOS LACRVMIS EDVCABIMVS



NEAPOLI, *in Ecclesia Collegii Music.*

Pro foribus templi

KAROLO CONTI

MVSICAE ARTIS EXIMIO CVLTORI
TRIVMVIRI HVIC TEMPLO ET COLLEGIO PRAEFECTI
IVSTA PERSOLVVNT

ADESTO QVIS QVIS ES INCOLA SEV ACCOLA
ET INTER COLLEGAS COLLEGAE SVI FVNVS
HONESTANTES
INTERQVE ALVMNOS TANTVM PRAECEPTOREM
LACRVMIS PROSEQVENTES ABEVNTEM
INTROGREDITOR
ET AETERNAM REQVIETEM
BENEMERENTI EXPOSCITO

In antica tumuli parte

I

KAROLVS CONTI
IV · NON · OCT · MDCCXCVII
ARPINI IN VOLSCIS NATVS
A MEDICIS DISCIPLINIS ADHVC IVVENIS
NATVRAE VI ABREPTVS
MVSICAE EXCOLENDAE
HOC IPSO IN COLLEGIO SE TOTVM DEDIT
CLARISSIMVM DVCEM NACTVS **ZINGARELLIVM**
CVIVS GLORIAE SATIS OMNINO FVISSET
HVNCE DISCIPVLVM EFFINXISSE
MOX NEAPOLI ROMAE MEDIOLANI
AD DRAMATICA POEMATA MODOS FECIT
ET PLACVIT
TRADENDIS TAMEN ARTIS SVAE PRAECEPTIS EXCELLVIT
QVAE ACRI INGENIO SVMMOQVE STVDIO AC LABORE
EX PRISCIS ITALIAE NOSTRAE AVCTORIBVS
HAVSERAT
DIGNVS QVEM HVIVSCE COLLEGI ALVMNI
IN PRIMIS SVSPICERENT
MERCADANTIVS VERO COLLEGI MODERATOR
INTER PHONASCORVM HVIVS AETATIS PRINCIPES
CERTE ADNVMERANDVS
SIBI DELIGERET ADIVTOREM
VITA CONCESSIT V · ID · IVL · MDCCCLXVIII

Dextrorsum

II

KAROLVS CONTI
LITERAS RARO EXEMPLO MVSICAE ARTI
CONIVNXIT
ITA QVIDEM VT NEAPOLI ET PARISIS
NOBILISSIMAE DOCTORVM HOMINVM SOCIETATES
EVM SIBI SOCIVM ADSCISCERENT
AMICITIAM VERO TANTA RELIGIONE EXCOLVIT
VT FRATREM SE SE ADEPTOS ESSE IVDICARENT
QVIBVS EVM AMICVM SORS OBTVLISSET
HEHEV
QVI NEMINEM VIVVS
OMNES MORTE SVA CONTRISTAVIT

Sinistrorsum

III

KAROLVS CONTI
PIETATE CONSTANTIA MORVMQVE INTEGRITATE SPECTANDVS
INNATAM QVAMDAM ANIMI DIGNITATEM
IN OMNI VITAE RATIONE PRAESETVLIT
QVAM TAMEN EA HVMANITATE TEMPERAVIT
VT SIMVL OBSEQVIVM SIBI PARERET ATQVE AMOREM

HAVE ANIMA INCOMPARABILIS
COELVMQVE ILLATA
CONIVGEM NATOS AMICOS
ALVMNOS DENIQVE TVOS
DEO COMMENDA

In postica tumuli parte

IV

DOMINE IESV
QVI TE IPSVM HOSTIAM PLACABILEM
QVOTIDIE VIVIS ET MORTVIS REDIMENDIS
OMNIPOTENTI DEO
SACERDOTALI OFFERS MINISTERIO
SI QVID SORDIVM
EX HOMINVM CONSORTIO
KAROLVS TVVS CONTRAXIT
LIBENS CLEMENS
DIVINO SANGVINE TVO ABSTERGITO

~~~~~

PUTEOLIS

HEIC IN PACE CHRISTI REQVIESCIT
FRANCISCVS MIGLIACCIO
PIETATE RELIGIONE MORVM SIMPLICITATE
ANTIQVIS COMPARANDVS

OBIT VI · ID · APR · MDCCCXLII ANNOS NATVS LXV
COELESTINA VXOR ET IANVARIVS FILIVS
BENEMERENTI FECERVNT

~~~~~

SUBCAVAE, *prope Neapolim*

HEV QVANTVM MORTI LICET IN INSONTES ANIMAS
CHRISTINA RICCIARDI
INFANTVLA ORIS GRATIA VENVSTISSIMA
VT MILLIA TIBI BASIA RAPERET
NVTRICI LACTIS VIRVLENTIA
VIX ANNVM ET TRES MENSES NATA
CEV ROSA FVRENTI TVRBINE LANCINATA
E SVORVM COMPLEXIBVS DIVVLSA EST
PR · KAL · AVG · MDCCCXXXVII



ALTAVILLAE, *ad Silarum flumen*

ANTONIO ROSSI
PATRIA ACROPOLITANO
QVI MISERANDIS FORTVNAE CASIBVS
HVC ILLVC DIV IACTATVS
DVM TANDEM DOMESTICO OTIO SVORVMQVÈ AMORE
CORAM FRVI PARABAT
SVBITO AC DIRO FATO
HEIC ELATVS EST
POSTRID · KAL · IAN · MDCCCXXXV
ANNOS NATVS L · MENSES · IX



PUTEOLIS, *in Eccl. s. Michaelis*

FRANCISCO ZOLA
E COMITIBVS BRIXIAE
AVITIS PROPRÌSQVE VIRTVTIBVS SVSPICIENDO
QVI
CONSTANTIAM IN DOMESTICIS CALAMITATIBVS EXERCVIT
LIBEROS AD PIETATEM ET LITERAS INFORMAVIT
HEV CITIVS QVAM PRAESENSERIT ELATO
BONORVM OMNIVM
LACRVMAE AC SVSPIRIA

VIXIT A · XLVIII · M · IX · D · XVIII
FATO CESSIT A · MDCCCXXXVI



Miseni, *in Ecclesia prope promontorium*

IOSEPHVS SCOTTI DE MASE
HVIVS ECCLESIAE PRESBYTER CVRATVS
HIC VBI
SACRIS AEDIBVS EXORNANDIS
PLEBEQVE SANCTIS MORIBVS INFORMANDA
OMNE TEMPVS EXEGIT
VIVVS SIBI REQVIETORIVM COMPARAVIT
DEPOSITVS EST · · · · ANNOS NATVS · · · ·

VALETE FILIOLI
ET PATRI OLIM VESTRO
AETERNAM REQVIETEM ADPRECAMINI

Puteolis, *in rurali sacello S. Viti*

KAROLINAE IASVOLI
FOEMINAE RARI EXEMPLI
FRANCISCVS VARRIALE CONIVGI INCOMPARABILI
PRAETER VOTVM
P.
VIXIT ANNOS XXXVII M · III · D · XV
ELATA VII · ID · IVL · A · MDCCCXXXVII

Ibidem

IOSEPHA VARRIALE
INNOCENTISSIMIS MORIBVS
FORMA PRAETER CETERAS EGREGIA
SVB PRIMO FLORE IVVENTAE
SVORVM AMORI DIREPTA
HVC MATREM CAROLINAM IASVOLI
HORIS VIX VNDECIM AB EIVS OBITV
SECVTA EST

VIXIT A · XX · M · II · D · VIII

Porticibus, *ad Leucopetram prope Neapolim, in Sacello Redemptoris*

IOANNI BAPTISTAE VECCHIONI
SACELLI HVIVS INSTITVTORI
QVI
SVMMIS MVNERIBVS FIDISSIME DEFVNCTVS
TOTVM PATRIAE TEMPORIBVS SE COMMODAVIT
ATQVE MARIAE ROSAE CATALANO
LECTISSIMAE FEMINAE
NICOLAVS FILIVS
PARENTIBVS BENEMERENTISSIMIS

QVI ETIAM HOC ANIMO REVOLVENS
QVEMLIBET HINC ABEVNTEM
HVMANO SALTEM PVLVERE EFFERRE PEDES SORDIDATOS
PRO AETERNALI EORVM REQVIETE
PIACVLARE CHRISTIANAE RELIGIONIS SACRVM QVOTIDIE
IN PERPETVVM FIERI IDQVE AD TEMPVS ETIAM
TVM PRO IPSIS ISDEM
TVM PRO MARIA ANTONIA MAGLIONE
CONIVGE DESIDERATISSIMA
ITERARI CONSTITVIT

ET VIVO CONIVX NEC LVCEM HOMINESQVE RELINQVO
CVM TE TAM SVBITO MORS INOPINA TVLIT
HEV QVOT ADHVC OPVS EST LACRVMAS TVMVLO DARE NOSTRO
DVM LICEAT COELO RVRSVS AMORE FRVI



Neapolis, *in Ecclesia Parochiali* **sanctae Annae** *ad maris litus prope hortus publicos*

Pro foribus templi

IOSEPHO MARIAE TIBET
CANONICORVM REGVLARIVM SS. SALVATORIS LATERANENSIVM
ABBATI
COMMVNI HVIVSCE REGIONIS NOMINE
CLERVS SAECVLARIS
EIVS VIRTVTI OBSEQVENTISSIMVS
PARENTAT

ADESTE CIVES
PATRI BENEMERENTISSIMO
AETERNAM REQVIETEM ADPRECATVRI

In tumuli fronte

I

IOSEPH MARIA TIBET

NEAPOLITANAE PRIMVM ECCLESIAE
NOMEN DEDIT
MOX CANONICORVM REGVLARIVM CONGREGATIONEM AMPLEXVS
ITA SE MAIORIBVS PROBAVIT
VT OMNIBVS SVI ORDINIS HONORIBVS
PERFVNCTVS
BREVI AD SVPREMAM ABBATIS DIGNITATEM
FVERIT EVECTVS
DVM INTEREA ALVMNOS FRATRESQVE SVOS
OMNIBVS OMNINO COMMENDANDOS
EXHIBVERAT
DELETIS VBIQVE PER ITALIAM REGVLARIBVS INSTITVTIS
TANTAM ANIMI AEGRITVDINEM
CONTRAXIT
VT VIX LVI ANNOS NATVS SVI DESIDERIVM
FECERIT
III · KAL · IVNI A · MDCCCLXVIII

Dextrorsum

II

IOSEPHI MARIAE

NOMEN GRATAE SVORVM MEMORIAE COMMISSVM
NVLLA VNQVAM OBRVET OBLIVIO
CANONICORVM ENIM REGVLARIVM FAMILIAM
DIFFICILLIMO TEMPORE REGENDAM NACTVS
OMNIVM ANIMOS ADEO SIBI DEVINXIT
VT INCREDIBILI PENE EXEMPLO
SANCTISSIMIS MORIBVS ATQVE OBSERVANTIA
NOBILE INVICEM CERTAMEN INSTITVTVM
OMNES ADMIRARENTVR

Sinistrorsum

III

IOSEPH MARIA TIBET

TANTA CHARITATE FLAGRAVIT
VT CLAVSTRI TERMINOS PRAETERVECTVS
NVLLVM
IN OMNIVM ORDINVM CIVES
CONFERENDIS BENEFICÎS
CONSILIO IN PRIMIS ATQVE LIBERALITATE
FINEM FECERIT NISI CVM VITA

HEV PATER
QVOT LACRVMIS TVVM FVNVS DEDVXIMVS

In postica tumuli parte

IV

DOMINE IESV
IOSEPHVM MARIAM
QVI TIBI
VITAM OMNEM IMPENDIT
TVOQVE NOMINI
OBSEQVIVM HONOREM REVERENTIAM
PERPETVO ASSERVIT
MVNDANO FORTASSE PVLVERE
INQVINATVM
PIACVLARI SANGVINE TVO ABLVAS
AETERNAQVE BEATITATE
QVAM PRIMVM SOLATOR

Ad templi parietes

V

IOSEPH MARIA TIBET
IN VINEA DOMINI EXCOLENDA
SOLERTISSIMVS
HOC
QVOQVE SVMMOPERE CAVIT
NE DOMVS DEI SVVM DECVS ET MAIESTATEM
VNQVAM DESIDERARET
QVOD TVM PRAECIPVE
INNOTVIT
CVM ECCLESIAM SVI ORDINIS
TOTO HOMINE ADNISVS EST
VT QVAM SPLENDIDISSIME INSTAVRARETVR

VI

IOSEPH MARIA TIBET
VIRTVTVM OMNIVM EXIMIVS CVLTOR
VIRGINES DEO DICATAS
PERPETVO FOVIT
QVEIS IN RE DIFFICILLIMA
PRO VIRIBVS OPITVLATVS
HOC SIBI VISVS EST PROPOSVISSE
VT NEAPOLITANAE ECCLESIAE
HORTVLVS
HVIVSMODI LILIORVM VIRORE
CEDERET NVLLI



SURRENTI, *in Ecclesia* . .

Pro foribus templi

FRANCISCO XAVERIO MARESCA
APVD INDOS EPISCOPO
IVSTA FVNEBRIA PERSOLVVNTVR

QVOI COMMODVM EST HVC ADVORTAT
VIRO INCOMPARABILI
PACEM ADPRECATVRVS

I

FRANCISCVS XAVERIVS MARESCA
DOMO NEAPOLI
IN COLLEGIVM SACERDOTVM CORPORATORVM
SACRAE IESV CHRISTI FAMILIAE
COOPTATVS
EA CHARITATE IN DEVM EXARSIT
VT *MATTHAEI RIPAE* COLLEGI INSTITVTORIS
VESTIGIA PROSECVTVS
IN ASIAM CONTENDERIT
INDIS CHRISTI NOMEN DELATVRVS
VBI ADEO EGREGIE SE COMMENDAVIT
VT A · MDCCCXLIV *ECCLESIAE HV-QVANENSIS PROVICARIVS*
ET PATARENSIS EPISCOPVS
BIENNIO POST *EPISCOPVS SOLENSIS ET COADIVTOR NANKINENSIS*
ET DEMVM EIVSDEM ECCLESIAE *ADMINISTRATOR APOSTOLICVS*
SIT RENVNCIATVS
CVM TAMEN XVIII POST ANNIS MENSE MAIO HVIVSMET ANNI
ROMAM A SVMMO PONTIFICE REVOCATVS
PATRIAM SVOSQVE
INOPINATO ADVENTV EXHILARASSET
INDOMABILIS MORBI VI AC LABORIBVS FRACTVS
SVOS INTER FRATRES
SANCTISSIMVM SPIRITVM
DEO REPRAESENTAVIT
POSTRID · KAL · NOV · A · MDCCCLV ANNOS NATVS XLIX

Dextrorsum

II

FRANCISCVS XAVERIVS MARESCA
BARBARAS ILLAS REGIONES
EFFVSA IN PRIMIS MISERICORDIA
IN SVI ADMIRATIONEM CONVERTIT
VBI ENIM PARENTES
QVOD NVLLIBI RERVM NATVRA
NE IN BELLVIS QVIDEM PATITVR
NATOS AVT IMPIA MANV PERIMVNT
AVT FERIS PROIICIVNT DISCERPENDOS
HORVM INFANTVLORVM L · MILLIA
PATERNO AMORE EXCEPIT ALVIT FOVIT
QVOS AVT VITA DECEDENTES
COELO SVAE PIETATIS TESTES TRANSMISIT
AVT SVPERSTITES
PROPAGANDAE RELIGIONI DESTINAVIT

INGREDERE COELOS ANIMA PIENTISSIMA
ET OCCVRRENTES TIBI INFANTVLOS TVOS
DEOSCVLATVS
SVSCEPTVM OPVS VESTRO SIMVL PATROCINIO
APVD SINAS PROSEQVIMINI

Sinistrorsum

III

FRANCISCVS XAVERIVS MARESCA
NECESSARIS PATRIA AMICIS OPIBVS POSTHABITIS
APVD BARBAROS CONCEDENS
MORTEM AVT CERTE VITAM MORTI SIMILEM
SIBI ADEVNDAM RATVS
EO ANIMI ARDORE
AD VINEAM DOMINI EXCOLENDAM
ABREPTVS EST
VT PROPE MIRACVLVM FVERIT
QVI VNVS AFFECTAE SEMPER VALETVDINIS
TOT LABORES EXANTLAVERIT
CVIVS REI
LXXV SINARVM MILLIA TESTES SVNT
QVOS EX *NANKINENSI* TANTVM *DIOECESI*
CHRISTIANO OVILI ADGREGAVIT

HAVE
PONTIFEX EGREGIE
DEVMQVE PRECIBVS EXORA
NE TVI IMITATIO
NIMIVM FRATRIBVS TVIS DIFFICILIS EVADAT

In postica tumuli parte

IV

FRANCISCVS XAVERIVS MARESCA
HOC ANIMO REVOLVENS
MORTE APVD BARBAROS SIBI QVOTIDIE IMMINENTE
LONGIVS CVRRICVLVM
GEMINATA SEDVLITATE COMPENDIFACIENDVM
DVOBVS COLLEGIIS TRIBVSQVE ERECTIS
CLERICORVM SEMINARIIS
QVIBVS AD SCIENTIARVM ET SANCTIORIS VITAE STVDIVM
IVVENTVS INFORMARETVR
SVAE PIETATIS AC SAPIENTIAE HAEREDES
RELIQVIT
MISERICORDIAE VERO PERENNE MVNVMENTVM
BINA AD AEGROTOS EXCIPIENDOS
HOSPITIA EXCITAVIT



NEAPOLI, *in sacello familiae Villarosae*

MARIAE TERESIAE DE ROSA
E MARCHIONIBVS VILLAROSAE
NVLLA VNQVAM AETAS NOMEN OBLITERABIT
QVAE
AD CHRISTIANAE PERFECTIONIS SCOPVM
OMNEM EXIGENS SVAE VITAE RATIONEM
RARISSIMO SE EXEMPLO COMMENDAVIT
EA ENIM FVIT IN DEVM PIETATE
QVALEM DECVIT VIRGINEM NVPTIAS ASPERNATAM
VT DIVINO SE SPONSO TOTAM MANCIPARET
MATRI DIVTVRNO MORBO LABORANTI
PER ANNOS XXVII
TAM SEDVLAM OPERAM IMPENDIT
CEV SI VERSA VICE PARENS DVLCISSIMAE NATAE
ASSEDISSET
QVOAD INTER SVOS AMPLEXVS MORIENTI
OCVLOS CLAVSERIT
PARENTIS OPTIMI AD SOLITVDINEM RELICTI
AEGRITVDINEM LEVAVIT
REI DOMESTICAE CVRAM TANTA FIDE GESSIT AC SOLERTIA
VT OMNES ADMIRARENTVR
QVO PACTO VNA TOT OBEVNDIS OFFICIIS SVFFECERIT
SOLATIO VERO PAVPERVM NATA
AMPLISSIMAS OPES EFFVSA LARGITATE
EIS DISTRIBVIT

ANIMA INCOMPARABILIS
COELOS TVAE VIRTVTI DEBITOS INGREDERE
IDQVE DEVM EXPOSCITO
VT TVAE VIRTVTIS MEMORIA
DESIDES ALIQVANDO ANIMOS CONCVTIAT
NATA A · MDCCXCVII IX KAL · IVN.
DECESSIT III · KAL · MAR · MDCCCLXV



HERCULANI, *in Ecclesia Portus Salvi*

ANTONIO SABINO
QVI VIX SACRIS INITIATVS EST
NON SIBI SED DIVINO MINISTERIO VIVENDVM RATVS
ECCLESIAE DEI NITORI
RVDIBVS EXCOLENDIS EGENIS SVBLEVANDIS
ORPHANIS NVTRIENDIS
OMNE SVVM TEMPVS SCIENTIAM VIRES REM FAMILIAREM
IMPENDIT
DONEC CHOLERA MORBO GRASSANTE
DVM SVI NESCIVS INFIRMIS OPITVLARI SATAGERET
IMPOTENTI EIVSDEM PESTIS VI SVBITO CORREPTVS
MAGNVM CHRISTIANAE CONSTANTIAE DOCVMENTVM
POSTERIS RELIQVIT

HVIC OMNIVM LACRVMIS SVBLATO
IOSEPHVS FRATER
EIVS LABORVM HAERES PONENDVM CVRAVIT
SVI DESIDERIVM FECIT · · MDCCCLXVII ANNOS NATVS · · · ·



ABELLINI, *in sacello, ubi, magna cruce in pariete depicta, octo imagines animarum piacularibus flammis circumventae, quas* **Anime del Purgatorio** *vocamus, reliquos sacelli parietes complent.*

I

HEHEV
CVM DEMVM MORTALI VITA DEFVNCTIS
IAM IAM OCCVRRENTEM NOBIS
DIVINVM SPONSVM PRAESENTIBAT ANIMVS
PRO SPONSI AMPLEXIBVS
HAE NOS FLAMMAE MISERE MISERAS
AMPLEXATAE SVNT

II

QVIS QVIS ADES NE ABEAS ILLACRVMABILIS
NEMO ISTHINC COMMEAVIT
QVIN HVMANO SALTEM LVTO
PEDES EXTVLERIT FOEDATOS
AT TV OLIM EAMDEM MISERICORDIAM NANCISCERIS
QVA NOS NVNC FVERIS PROSECVTVS

III

QVI GENVS GLORIAM OPES
LITERAS IPSAS ET ARTES
MAIORES VOBIS COMPARARVNT
NVNC STIPEM ROGITANT
SI VOS SINIT ANIMVS
QVIBVS OMNIA DEBETIS STIPEM DENEGATE

IV

SI IVVENIS ES IVVENTVTI NE FIDITO
CEV FVR MORS OBREPIT CLANCVLVM
SI SENEX NOLI SENECTAE TVAE DOLVM FACERE
SAPIES
SI NOSTRARVM POENARVM EXEMPLO
NVLLVM LACRVMIS AC GEMITIBVS
MODVM IMPONES

V

PROPERATE ACCVRRITE
NOS E VINDICIS DEI MANIBVS SVRRIPITE
QVI DVM SONTES PLECTIT VELVTI PATER FILIOS
CIRCVMSPICIT ANXIVS NVM QVIS SIBI FLAGELLVM
DETRAHAT
OLIM ET VOBIS GRATIAM REFEREMVS

VI

VESTRAM OPEM FRATRES IACENTIBVS PORRIGITE
MOX COELESTEM PATRIAM ADEVNTES
PIENTISSIMVM DOMINVM PRECIBVS DEFATIGABIMVS
VT ILLO VOS SERVET IGNE
VNDE VESTRA OPE EVASIMVS

VII

ET CONIVX ET FILI AMICIQVE OMNES
MVLTIS LACRVMIS SVFFVSI
HAC SPE MORIENTEM SOLABANTVR
QVOD NVNQVAM MEI OBLIVISCERENTVR
HEV QVAM BREVI
ILLORVM MEMORIA EXCIDI

VIII

DVM VOLVPTAS INANESQVE CVRAE
VESTRVM DISTINENT ANIMVM
HEV QVANTA NOS PREMIT COLLVVIES MALORVM
OH TANDEM NOSTRI VESTRIQVE MISEREAT
NOBIS CONSVLENTES
ET VESTRAM CAVSAM AGETIS

IX

HAVE CRVX SANCTISSIMA
SALVS MVNDI COELORVM CLAVIS
ET DIVINO QVO ADHVC MADES CRVORE
VIVORVM CONFIRMA VIRTVTEM
MORTVORVM PIACVLARES FLAMMAS
RESTINGVE



SACRAE

Domi N. N. qui Virginis sine labe conceptae festum diem agebat

D · O · M ·
AC VIRGINI ALMAE DEIPARAE
OB PRAECLARISSIMAM VICTORIAM
QVAM MATERNAM ALVVM VIX INGRESSA
DE INSIDIOSISSIMO HOSTE REPORTAVIT
GRATVLATIONES ET VOTA

HAVE INTEMERATA VIRGO
ET HANC ARAM QVAM TIBI LAETITIA PRAEGESTIENTES
TEMPORARIO OPERE QVOD LICVIT EXCITAVIMVS
VT NOS INCOLVMES TVTOSQVE
PRAESENTISSIMO TVO NVMINE FACIAS
LIBENS VOLENS EXCIPITO



NEAPOLI, *ad sacellum Congregationis juvenum Immaculatam Virginis Conceptionem celebrantium*

D · O · M ·
AC DEIPARAE VIRGINI
CVIVS ANIMA CORPORIS IMMIXTIONE
ADAE LVEM PRIMIGENIAM
CITRA EXEMPLVM VITAVIT
VT
HVIVS SODALITII IVVENCVLOS
INTER TOT TANTAQVE SAECVLI HVIVS TENEBRICOSI
OFFENDICVLA
FELICITER MANVDVCAT
SOLEMNI RITV VOTIVAS ARAS



Neapoli, *pro foribus templi* **s. Petri ad Aram,** *quo die Patres s. Francisci Reformati Deiparae sine labe Conceptionem dogmatice definitam celebrarunt*

D · O · M ·
AC IMMACVLATAE VIRGINI DEIPARENTI
QVAM NVPER
INGENTI OMNIVM POPVLORVM PLAVSV
ATQVE LAETITIA
PIVS IX · P · M ·
PRIMIGENIA LABE CARVISSE
DEO IPSO AVCTORE
CREDENDVM ASSERVIT
VOTA ET SVPPLICATIONES

Deiparae imago

SI TE CONCEPTAM SINE LABE EDIXIMVS OLIM
HOC PETRI NVPER SANXIT ET IMPERIVM
AT TIBI NATORVM MATER NE CVRA RECEDAT
QVI GAVDENT LAVDEM IVRE PRAEISSE TVAM



Ibidem

D · O · M ·
AC SANCTISSIMO IOACHIM
DEI GENITRICIS PARENTI
CLIENTES AB EO CHOLERA MORBO SERVATI
VOTA NVNCVPATA PERSOLVVNT

s. Ioachim imago

HIC QVANTVM POSSIT VEL QVO SIT DIGNVS HONORE
SVMMVM ENIXA DEVM FILIA VIRGO DOCET



Ibidem, publicis festis, pro Jesu Christi divinitate asserenda, ubique contra Ernestum Renan indictis

IESV CHRISTO
HVMANI GENERIS REDEMPTORI
AETERNAE ITEM NOSTRAE BEATITATIS
AVSPICI AC VINDICI
IN PVBLICVM EIVS VERAE DIVINITATIS TESTIMONIVM
CASERTANA DIOECESIS
SOLEMNIA VOTA

IMPIE QVID FRVSTRA IESV MOLIRIS IN ARAS
QVEM SIMVL EDICVNT TERRA POLVSQVE DEVM?
STVLTE TVVM NOMEN DIRIS DVM DEVOVET ORBIS
IESV VIVIDIOR SVRGIT VBIQVE FIDES



CASERTAE, *festa die recurrente* **Deiparae septem dolorum,** *pro foribus Ecclesiae Redemptori dicatae*

D · O · M ·
AC VIRGINI DEI GENITRICI
QVAE
VNIGENITO SVO CRVCI ADFIXO
SVPRA MATERNAM PIETATEM ADSTANS
EIVS VITAM
VT HOMINVM SALVTI CONSVLERET
INCREDIBILI DOLORE
SED MAIORI CHARITATE ET FORTITVDINE
OBTVLIT DEO
SOLEMNES ARAS

Deiparae septem dolorum imago

SEPTEM PLAGARVM DICOR TRANSFIXA DOLORE
SED NVMERVM PLAGAE NON HABVERE MEAE



RUFRANI, *in Salerni Provincia*

SACELLVM HOC
VETVSTATE SQVALIDVM ET CARIOSVM
FERDINANDO II ADNVENTE
EQVES IOSEPH TOSONE RVFRANI DYNASTES
EIVSQVE CONIVX HIERONYMA ZATTERA
EX MARCH · NOVENSIBVS
DE SVO EXPOLIRI ARAQVE ET DOTE
INSTRVI CVRARVNT



In majori templo Urbis LIPARAE, *in Insulis Aeolicis*

DIVO BARTHOLOMEO
QVI SEMEL ET ITERVM
AC DEMVM A · MDCCCLIV
ASIATICAM LVEM VBIQVE GRASSANTEM
VASTATA INCREDIBILI INTERNECIONE SICILIA
AB INSVLIS AEOLICIS
EARVMQVE IN PRIMIS HAC PRINCIPE VRBE
PROHIBVIT REPVLIT AVERRVNCAVIT
ORDO POPVLVSQVE LIPARENSIS
VT
PATRONO PRAESENTISSIMO
ANIMVM OMNI TEMPORE GRATVM
TANTVMQVE FACINVS POSTERITATI COMMENDARET
TITVLVM P ·

28